Damnum ejus Spirituale vel Corporale, quod ex voto timendum
bet.—

jor bonum ex dispensatione oritur.—

à Complare votum in bonum melius et saluti suae, melius
quis metu, vel gravis mali cavet, valetne? potest.

, quia vovit coactus et non libere.—

quis voveat exterius, et interius non habeat propositum
plendi, valebitne tale votum?

n: quia vovens habet contrariam ~~[illegible]~~ intentionem voto, et
cat mortaliter sic eludendo Deum.—

tetne Episcopus commutare Votum Castitatis ad eorum
pus emissum et votum de non contrahendo?

et, et in illis dispensare ex justa Causa, praeser=
~~int~~ incontinentiae, considerata natura, vita, officio
conversatione voventium

a dispensans in voto castitatis, dispensatne [illegible] an tantum
[illegible] onii et actum ejus?

[illegible] nsat, sed vel [illegible] in parte [illegible]

Chrzcy pozwanych, którzy
iakąś nieprawdę uczynili

Którzy ~~karzący~~ [illegible] pozwanych,
Którzy sobie iakąś nieprawdę
uczynili, teraz gwałtem upominaią się
za nim, ażeby karę śmierci nie był
karany

M. X. 14.

DISSERTATIO ACADEMICA,

Tractans

CASUM MEDICUM
DE
PETECHIIS,

Quam

AMPLISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO atq;
EXPERIENTISSIMO

DN. GOTHOFREDO Sand/
Phil. & Med. Doct. Prof. Publ.

Promotore studiorum suorum nunquam satis devenerando,

Publico Eruditorum Examini
submittit

JOHANN MAHRAUN, Reg. Pr.
AUTOR & RESPONDENS.

Ad diem 19. *Novembris M DC XCIII.*

IN AUDITORIO MAJORI
Horis Antemeridianis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

VIRIS

Prænobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo Domino,

DN. GOTHOFREDO Sand/

Phil. & Med. D. P.P. Famigeratissimo.

Nobilissimo, Amplissimo atque Consultissimo Domino,

DN. GEORGIO DITMER,

Civitatis Palæopolit. Consulari gravissimo, ejusdemque Judici optimè merito.

Nobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo Domino,

DN. JOHANNI MELHORN,

Civitatis Cniphovianæ Consulari dignissimo, ejusdemq; Camerario meritissimo.

Nobilissimo, Clarissimo atque Doctissimo Domino,

DN. CHRISTOPHORO PECHüLIO,

Cantori Rigensium dignissimo,

Patronis atq; Promotoribus studiorum suorum Maximis,

Quorum gratiam

Non plumbo, æri, marmorive inscripturus, sed foliis haud cum palmeis caducis, verùm metallo fortasse, lapideve perennioribus locuturus, & adversus feras horum temporum tempestates, fructibus maximè in primum florem se induentibus, inimicas, sollicitâ prece ambiturus, primum hoc in Medicis specimen consecrare voluit,

debuit

JOHANN MAHRAUN, Autor.

CASUS.

MErcatoris cujusdam conjux 36. circitèr annorum, liberalius educata, aliquòt liberorum parens, & etiàmnum ultra dimidium gestationis tempus gravida, tempore æstatis circà horam quartam pomeridianam subitâ virium prostratione corripitur, & sic etiàm, ut oculos aperire vix valeat, calorq; præter naturam est intensus & continuus, somnus est abolitus, appetitus planè prostratus, neque siti vexatur, alvus est obstructa, quartâ die in pectore & lumbis maculæ apparent purpureæ, fœtus tamèn sentitur satis vegetus, faucium etiàm accessit inflammatio, Urina aquæ instàr limpidæ perspicua est albicans & clara; ex vocato Medico quæritur, quo laboret morbo & quis sperandus eventus.

RESOLUTIO.

§. I.

QUemadmodùm Medico, antequàm curam ægri aggrediatur, nisi, temeritatè audax, suam artis Medicæ ignorantiam prodere velit, incumbit, ut antè omnia affectum ipsum, partem affectam atque càusas diligenter investiget, in horum verò cognitionem, nullâ viâ aliâ, nisi diligenti symptomatum, sivè signorum, consideratione pervenire possit (quod enim symptoma est in ægroto, signum præbet Medico, per quod, quis ægri sit status, quid item agendum sit indicatur) sic & in ægrotante hac nostrâ, quæ præsentia, quæ futura quoque sint, ea significabunt.

§. II. Malignâ autem eâque in specie Petechiali, ægram hanc nostram affici Febre, ex recensitis in casu proposito sym-

ptomatibus, haud difficile erit colligere. Febrem etenim eamque continuam adesse, calor præter naturam intensus, & sinè intermissione aut remissione affligens, clarè demonstrat: malignitatem verò, vel sola vehemens ista subitaque virium prostratio, appetitus item planè prostratus & inappetentia manifestant, quæ duo symptomata Galen. l. 1. de Crisib. c. 2. & 12. ubi de signis malignitatis scribit, præcipua esse malignitatis indicia docet.

§. III. Malignitatem ulterius declarant purpureæ istæ inpectore & lumbis apparentes maculæ, quæ, quòd pulicum morsibus (præter id, quòd nullum in medio observetur puncturæ indicium, atque pressæ cedant, nullumque prementis relinquant indicium) planè sint similes, peticulæ vel petechiæ, à recentioribus fuerunt appellatæ, propriè atque peculiariter Febrem hanc malignam significantes.

§. IV. Neque scrupulum alicui injicere debet, quod dictum sit maculas has malignitatem hujus Febris designare, atque Febri huic malignæ peculiares esse atque proprias, cùm Excellentissimus Ettmullerus Op. Med. cap. 17. p. m. 245. de Febribus malignis differens contrarium asserere videatur, quandò inquit: *Observetur tamen, quod sæpius quidem in morbis malignis erumpant maculæ, quæ constituunt Febrem petechialem, non tamen sunt signum pathognomicum Febris malignæ.*

§. V. Hæc si cursorio tantùm lustrentur oculo contrariam nobis videntur tueri sententiam, quodsi verò aliquantùm meliùs ponderentur, tantùm abest nobis contrariari, ut potiùs nostrum fulciant assertum. Duo enim sunt, quæ laudatus modò Autor l. c. observari jubet, unum scil. quòd in morbis malignis quandoque erumpant maculæ petechiales, quæ tamen non sint signum pathognomicum Febris malignæ, quod & nos defendimus; nam benè distinguendum est

inter

inter morbos malignos & Febres continuas malignas; varii quippè sunt morbi maligni, qui tamen Febribus accensendi non sunt, sic dari Anginas malignas, Choleras malignas, & in aliis quoque morbis, quosdam esse malignos, quosdam benignos, nemini non erit notum: malignitatem enim nec maculæ, nec Febris continua, sed symptomata, quàm in affectu simili observari solent, longè graviora ac insolentiora occurrentia, demonstrant. Cùm autem dicimus maculas petechiales signum esse petechialis febris, hujusque malignitatis proprium atque peculiare, non quosvis morbos, sed Febres tantùm continuas intelligimus, de quibus firmum nostrum manebit assertum.

§. VI. Alterum est, quòd multi sint morbi, in quibus apparent maculæ, utut non sint morbi maligni, quod ex maculis, interdum in Tertianis in fine paroxysmi subindè corpus antè sudorem colorantibus post sudorem verò evanescentibus: istis etiam in Scorbuto leviore, subindè rubicundis cutem tingentibus, illis verò quod Febres scorbuticæ habent sibi singulare, quæ in hoc affectu, pulicum puncturæ instar in partibus erumpunt, redditur manifestum. Verùm objectioni huic etiam modò datam applicamus responsionem, hæc omnia, utpotè vera, nec ullo modo nobis contraria concedentes; dictum quippè est, malignitatis morborum significationem non ex maculis erumpentibus aut aliunde solùm, sed symptomatibus pro more morborum insolentioribus ac dirioribus, petendam esse, & quod de petechiis diximus, de nullo alio morbo, quàm Febre continuâ, accipienda esse.

§. VII. Imò Objectionibus his adhuc addimus, in Febribus continuis quoquè non raró maculas erumpere, ex quibus tamen nullo modo Febris continuæ malignitatem, nedùm ipsam Febrim petechialem præsentem colligere liceat, quod ex morbillis, variôlis, Febre malignâ miliari, sivè Purpurâ,

purâ, cuivis poteſt eſſe obvium. Verùm enim verò, quamvis hæc omnia ita ſe habeant, maculæ tamen hæ, cum maculis petechialibus nec comparandæ, nec maculæ propriè dicendæ ſunt, ſed tuberculis & puſtulis potiùs annumerandæ veniunt, quòd enim morbillos & variolas concernit, quamvis maculæ priùs ſe conſpiciendas præbeant, non tamen hæ, ut fit in Petechiis, in eodem ſtatu permanent, ſed ſtatim accreſcunt & attolluntur, ita ut illæ in tubercula minora, rubicunda; iſtæ autem in puſtulas ſive tubercula majora quæ tandem ſuppurantur, ac cruſtam fœtidam relinquunt, abeant. Purpura autem, licet â colore purpureo nomen habeat, non tamen ſub eâ tàm maculæ, quàm minuta tubercula, milii granis ſimilima, cernuntur: ut ita verum maneat, maculas in Febribus continuis erumpentes pulicum morſibus (præter quod ſtigma in medio obſervetur) ſimiles, Febri Petechiali nomen præbere; hinc etiam eſt, quòd Autores Medici in definiendâ hac Febre malignâ, maculas iſtas pulicum morſibus ſimiles, loco differentiæ addant ſpecificæ.

§. VIII. Variè â variis definitur Autoribus hic affectus: verùm ſufficere poterit, ſi dixerimus Febrem Petechialem eſſe Febrem continuam malignam cum maculis pulicum morſui ſimilibus.

§. IX. Jam cauſæ ruminandæ, interque eas primo loco proxima, de quâ cùm Autores litigent & Ettmüllerus vel quatuor opiniones aliorum Autorum proferat, tandem inter alios Franciſci de Leb. Sylvii judicium apprehendit Op. Med. Prax. Med. cap. 33. cui & nos aſſentimur, ſtatuentes eandem eſſe ⊖ *volatile acre, ipſi maſſæ ſanguineæ inhærens*, cui & contagium, non raro huic Febri conjunctum adſcribimus, machina quippè hominis pnevmatica, exſpirando dictas particulas aëri communicat, aër verò ab adſtantibus attractatus facilè virus hocce inſinuare poteſt.

§. X.

§. X. Quæ in actum deduxêre hanc causam proximam, sunt remotæ, sivè procatarcticæ, quas constituunt sex res non naturales, ex quibus Aer, Cibus atque Potus in Casu nostro plurimum fecerunt, scil. ponimus ibidem tempus invasionis æstivum, calore autem aërem hoc tempore reliqua anni tempora superare, cuilibet notum, at verò duas extremitates caloris atque frigoris inimicissimas esse naturæ, quem latet? Modò nominatus Sylvius de Aër Inspir. læs. *aërem ad sanguinis refrigerium inspirando & exspirando inservire* asserit, quod cum certum sit, aër calidior & minùs temperatus id exsequi nequit, ut necessariò hinc impuritates sequantur. Quòd autem qualitates aëris hujus temporis attinet, in eo easdem peccare existimarem, quòd exhalationes varias terræ, vi caloris & mediantibus radiis solaribus attractas, heterogeneis particulis maximè constantes, corporibus ad statum morbosum dispositis insinuet.

§. XI. Cibum atque Potum verò non parum ad generationem mali hujus in ægrâ nostrâ contulisse, liberalior educatio ejus, satis approbare videtur: solent quippè tales, indifferenter cibos potusque sibi invicem maximè contrarios, appetere, avidèque assumere, & sibi malum ex fructibus circà hoc tempus plurimùm adhuc immaturis, addito insuper potu subitaneo, minùs conveniente contrahere. Jam si subjecti sivè loci affecti habenda sit ratio, illa ex dictâ causâ proximâ elucet, ubi diximus non partem, sed totam massam sangvineam per particulas salino-acres esse infectam.

§. XII. Prognosin de morbi hujus eventu quod concernit, maximoperè ægram periclitari, dira symptomata ubertim evincunt, ut ut vel sola malignitas internecionem minetur. Accedit, quod somnus planè sit abolitus, undè mentis perturbatio metuenda; *vigiliæ enim modum excedentes* juxtà Hippr. 2. Aph. 3. *malum*, & juxtà Cels. Lib. 2. c. 4. *Pessimum est*

si somnus neque noctu neque interdiu accedit, id enim ferè sinè continuo delirio esse non potest. Haud minus periculum confirmat Appetitus planè prostratus, hoc ipso enim vires amissæ nunquam erunt pristinum statum adepturæ; Pejus adhuc redditur malum, quòd nullâ vexetur siti, cùm tamen calor præter naturam sit intensus isque continuus, fauces insuper ex præsenti inflammatione plurimùm exsiccentur, undè sitim subsequi quàm maximè necessum foret; quare Hipp. I. Prædict. VII. 7. inquit: *Sitis præter rationem soluta in acutis morbis mala est*, it. Coac. Prænot. 58. Quod verò huic malo maximum pondus addit, illud est, quod ægra sit gravida, Hipp. enim 5. Aph. 30. *Mulierem gravidam morbo quopiam acuto corripi lethale* pronunciat, & Celsus l. 2. c. 6. p. 55. in hæc erumpit verba: *Mulier quoquè gravida acuto morbo facilè consumitur.*

§. XIII. Verum enim verò quamvis enumeratorum Symptomatum gravitas nil nisi mortem subsecuturam indicet, Medicus tamen vocatus, nullo modo desperare, ægramque sinè medicamentis relinquere debet, sed potiùs in eo confisus, quòd morbus juxtà ætatem & anni tempus, secundùm Hipp. 3. Aph. 28. & 33. ægrotæ nostræ supervenerit, hincque minùs eam periclitaturam juxtà Hipp. 2. Aph. 34. & 8. Aph. 1. Spem augeat Fœtus vegetus satis atque alacer.

§. XIV. Quod faucium inflammationem, somnum abolitum, virium prostrationem, alvum obstructam, maculasque in pectore & lumbis apparentes, appetitumque prostratum, Urinam item aquæ instar limpidæ perspicuam, albicantem & claram, concernit, neque ea adeò formidet, cùm symptomaticè evenerint, partim â continuo Febris calore, partim â sanguine & humoribus corruptis producta, præprimis cùm macularum color purpureus spem confirmet, observatum quippè est maculas has quo rubicundiores, eo fuisse meliores:

juxtà

juxtà Ettmüllerum Op. Med. de Febr. p. m. 248. *Color. rubicundus est benignus, viridis verò, flavus, lividus & niger omnium pessimus. & si 4tâ, 5tâ, 7timâ, vel 9nâ die apparent, bonam plerumq; sortiuntur excretionem.* Sitis abolita & Urina limpida etiam bono cum eventu observatæ, de quibus alios inter vid. citat. Ettmüll.

§. XV. Cura igitur secundùm indicantia & consideratè quidem instituenda, inque eâ ad tria potissimùm, Febrim scil. faucium inflammationem, atque maximè urgentia symptomata, ipsum deniquè, quantum per Febrim atque urgentia symptomata licuerit, conservandum embryonem, erit respiciendum. Quod Febrim attinet, humectatio corporis non erit negligenda, cæterùm, quoniam, ut ex eruptione macularum apparet, natura jam est in motu, illa non est interpellenda, ut vult Hipp. 1. Aph. 20. & 21. Sed potiùs, ne in hoc bello victoriam amittat, corroborantibus, atque malignitatem depellentibus alexipharmacis, confortanda.

§. XVI. Alvus obstructa, si sponte suâ non solvatur, internis purgantibus nullatenus est stimulanda, nihil enim exitialius est, & hominem Febre malignâ correptum certiùs ad interitum & citius trahit, quàm quæcunque in specie ingens & superflua purgatio, uti crebra experientia sufficienter confirmat; blandum itaque Enema applicari poterit.

§. XVII. Quod somnum conciliandum spectat, Narcotica quidem adhibenda, ab internis verò maximè itidem abstinendum, spiritum quippè sufflamminare valent, externè verò sine noxâ ea adhiberi poterunt.

§. XVIII. Ratione fœtus confortandi, cujus mors quoque matri exitum facilè causari posset, fœtum roborantia exhibenda.

§. XIX. Ad faucium inflammationem, ne in Anginam pejorem degeneret, Gargarismata, quæ inflammationem infrin-

infrigant, aut etiam decocta talia in ore per tempus retinenda, pro prudentiâ Medici præscribantur.

§. XX. Venæ sectio juxtà Autorum sententiam exulet, ea enim in malignis, quâ talibus, nullum omninò invenit locum, adeò ut quò magis maligna sit Febris, eò magis noceat Venæ sectio; in specie verò in Febribus cum excretione macularum vel pustularum conjunctis Venæ-sectio instituta est lethalis, impedit namque crisin ad cutem factam.

§. XXI. Diæta præprimis hic aërem consideret, ut quoad maximè fieri potest sit temperatus, si enim aliquantulum est austerus aut frigidiusculus, natura in crisi instituendâ occupata turbari, & maculæ eruptæ ad centrum, cor scilicet, propelli rursus possunt.

§. XXII. Et hoc modo institutâ curâ factum, ut per Dei gratiam supervixerit decumbens; quamvis sub summâ imbecillitate, ita ut adstantes singulis ferè momentis mortem imminere metuerent. Die undecimâ manè accedens Medicus percipit noctem antecedentem fuisse satis turbulentam, inspicere volens Urinam, audit eam non fuisse datam, observat quoque totâ die eam supprimi, madore etiam aliquali corpus detineri, ex quibus colligit decimo quarto die per sudorem morbum hunc judicatum iri, qui sudor etiam dictâ die in magnâ copiâ cum adjuncto sibi fœtore erupit, ægra sanitati fuit restituta, puerumq; benè constitutum aliquot post septimanas in lucem edidit.

CHare Fautor, dum Galeni
Mergitem de messe promis,
Hunc tuum doctum laborem,
Insequatur præmiorum
Gaudiumque, jubilumque, voce læta comprecor.

Boni ominis ergo paucula hæc Nobiliss.
Dn. Respondenti *Affini singulariter honorando scripsit*

M. JACOBUS CONCIUS.

En

*** En verité ***

Plusieurs eussent peu parvenir, au dernier degré de
quelque science,
s' ils n' eussent creu
d' estre parvenus, au plus haut degre' de toute
la science!
Voire,
ce seroit quelque science,
si les hommes ignorans
n' ignoroient point leur ignorance,
& scavoient, qu' ils ne sçavent rien.
Mais on void que ceux,
qui ne sçavent rien,
ne sçavent pas, qu' ils ne sçavent rien.
Tel n' a pas de la prudence, pour gouverner sa
maison,
qui pense en avoir assez,
pour gouverner un royaume,
Tel regarde le ciel,
qui ne regarde pas, ce qui est dans la terre.
Se trouveront des sçavans Medecins,
qui ont l' esprit malade,
des maladies incurables,
& des philosophes
qui pensans estre subtils en philosophie,
sont â l', a, b, c, de la raison,
& philosophes en folie.

 Vous

Vous Monsieur Respondant
croyez d' avoir occupé le dernier degré de
quelque ſcience,
Car,
vous occupez la chaire des ſçavans,
afin, que l'on ſçache bien,
que vous ſçavez bien,
de n' avoir point occupé
la plus haute chaiſe des ſciences.
Voila pourquoy
ie m' en vai vous prognoſtiquer, cette prognoſtique:
Eſtant perſuadé
que vous avez occupé le dernier degré
de quelque ſcience;
Soyez perſuadé,
que vous occuperez
le plus haut degré, de toute la ſcience!

Ceſt ce que vous prognoſtique
Votre obeiſſant & fidele
valet

MELCHIOR LÜBECK,
le jeune!

...uisit ... [illegible] utilitatis publicae, vel Ecclesiae ... postulandi,
...a potestne dispensare sine Causa?
...ntiat, non vero Episcopus: quia est supra jus
...mmune, et voluntas in eo habetur pro causa, ita si
...pensaret illum, quem certo sciret irregularem, ipso
...icto eum ipso dispensat. — in Concilio Constantiensi ...

ex S. Bernardo

Si necessitas urget, excusabilis dispensatio est,
ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est,
cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio,
sed crudelis dissipatio est. —

quod si conditio sit de praeterito vel praesenti
certe votum remanet reservatum. —

causa parentum. —